

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Abrahamvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

vita meæ: Est sane perparvum. *G.* s) Etiam in hac re indulgebo tibi, ut t) non evertam istud oppidum. Confer de illo. u) Neque enim licet mihi quicquam, quin tu eo perveneris.

## SENTENTIA.

*Deus versatur cum piis, eisque patefacit arcana sua, & eos remuneratur & tuetur. Mavult DEUS, ut innumerabiles impii vivant, quam ut vel unus pius una cum illis pereat. Major est DEI in unum piium amor, quam in omnes impios odium; quem quidem ejus amorem debent imitari pii.*

ABRAHAMVS. Genes. 22.

## ARGVMENTVM.

Abrahamus, jussu Dei, filium suum Isaacum vult immolare. Deinde prohibente DEO, immolat arietem.

*Abrahamus, Isaacus, Genius.*

Jam tertium diem iter facimus, & videor videre procul locum destinatum sacrificio. Vos hic operimini una cum asino, dum ego & puer a) imus illuc, ut adoremus DEVM, postea redituri ad vos, Tu, Isaace, portabis hæc ligna ad comburendam hostiam, ego feram ignem & cultrum. Eamus. *I.* Mi pater! *A.* Quid vis, fili mi? *I.* Hic quidem est ignis & ligna, sed ubi est agnus immolan-

s) Piorum preces exaudit Deus.

t) Piorum vicinitas salutaris.

u) In gratiam piorum differtur impiorum supplicium.

a) Isaacus, Typus Christi.

landus? *A.* b) DEVS providebit ipse sibi agnum in sacrificium, fili: interea pergamus. Ecce venimus in locum, quem DEVS dicebat mihi. Construamus hic aram. Recte est: disponamus lignum. Nunc, mi fili, oportet ut te colligem maectemque, quando ita visum DEO optimo maximo, cujus voluntati resistere nefas est. *I.* Mi pater! si ita certum est DEO, fiat. Nam didici ei, tibi que parere in rebus omnibus. *A.* Pater omnipotens, cujus est imperare, obsequor tuis jussis: tibi que maecto hanc hostiam hoc cultro, mea ipsius dextra. *A.* Abrahame! Abrahame! *A.* Quis me vocat? *G.* Cave, ne afferas manum puero: Cave, ne laedas. Jam enim mihi satis perspecta est tua religio & pietas, qui propter me c) non peperceris filio, ei que unico. *A.* Hem! quid hoc rei est: Sed video ne arietem in dumo haerentem corribus? Salva res est, vivet Isaacus, haec maectabitur gratior DEO victima.

## SENTENTIA.

*Nihil tam difficile aut durum est, quin id possit, qui credit. Deus suorum pietatem remuneratur.*

EPHRON. Genes. 23.

## ARGUMENTVM.

Abrahamus mercatur ab Hettæis fundum ad sepulturam Saræ uxoris suæ.

*Abraha-*

- b) Pii hominis est veritatem interdum celare, sed citra mendacium.  
c) Deo voluntas pro facto est.